Taddeo Hagecio ab Hayeck Andr. Dudithius.

20.

Clariss: et Amiciss: Vir S. L. Reddidit mihi literas et commentarios tuos de Cometa et Aquilone gener tuus: qui salvus cum lectissima sua conjuge heri advenit, et hodie mecum prandebit. Aderit et Savile et Wittichius. Totum diem terimus, ut fuimus heri quoq; et nudius tertius, quos dies totos consumesi cum duobus hisce Mathematicis. Equidem non assequor semper illorum imaginationes, sed miror illorum libertatem in veterum et novorum scriptis suo modo judicandis. De quo posteà fusius tecum eadem, qua illis libertate agam. Nunc hoc tantùm tibi significandum duxi: vix credas quantam voluptatem ceperim ex cometa, quem hac nocte totum evolvi. Judico edendum esse; quod si tibi quoq; placet, scribe ad tuum Stylium, ut id conficiat apud suum typographum; hic quidem non patietur sibi persuadere, et ineptior videtur, quàm ut hoc benè prestare queat. Sed agam cum hoc quoq; simulatq; sententiam tuam intellexero. Basileam si mitterem, non ederet hoc anno. Narratio illa de officiali et Bacchio sacris mihi tollenda videtur, et nisi fallor, non id efficis hoc exemplo (quod vis) alicujus Principis fortasse, omittendum puto, ne crabrones irritentur: Verum de his omnibus proximè plura. Nunc subitò hoc scripsi, quid boni consulas, sine a nobis, et fac ut citò ad nos venias filia tua erit, et est jam charissima uxori mea, mulieri magnanimæ et nobilissimæ. Vale mei, quod facis, amare perge. 16. Januarij 1581.

Etsi nemo est, qui valetudini et oculis tuis magis parcendum esse putet quàm ego, tamen rogo te, mitte mihi epistolam ad Rhetoricum de æquatione dierum, ut intelligam, quid sequaris tandem, et quid sit id, quod vestras opiniones antehac disjunxerit. Wittichius noster modò ait, modò negat, ut solet. Vale iterum atq; iterum.

21

Eidem Taddæo Haggecio, Andr. Dudith. S. P.

Expecto quid constitueris de tuo elegantiolo commendatiolo, suadebam ut typis mandares, operâ Stylii; hic n. frustra cum